

Lucida sunt corpora; Sed *respectu nostri* videntur pallida; idq; fit propter vaporum humidorum copiam, interjectorum inter nostrum aspectum & corpora ista cœlestia. 2. *Cornua Lune obtusa ac tenebricosa mox à novilunio*: ubi itidem vapores plurimi rem aspectabilem incrassant. 3. *Stellarum de nocte obfuscatio*: cujus obfuscationis causas esse nubes crassas, nemo fortassè negabit.

LXXVI. *In aere signa venturæ pluviae sumuntur*: 1. *In aere. ex vaporum ascendentium nubiumq; densarum frequentia*: si quidem datâ causâ sequitur effectus, non igitur potest non sequi pluvia, tanquam effectus nubium. 2. *ex nubium celeritate*, ortâ à ventorum impulsu, quo nubes coactæ densantur & vehementer comprimuntur, adeò, ut humorem conceptum diutiùs continere nequeant. 3. *ex rubedine matutinâ*: quam communem observationem Meteorologicam allegat ipse Salvator *Matth. 16. 2. 3.* neq; deest ratio: hæc enim rubedo testatur, multos vapores noctu collectos unâ cum Sole in mediam aeris regionem ascendere, quò delati, frigore ejusdem regionis densantur, postmodum in nubes, & ex his in pluvias abeunt.

LXXVII. *Signa ex animalibus desumpta sunt*: 1. *Hi-* *In anima-*  
*libus.*  
*rundines circa litora volitantes, & latebras quærentes contra instantis pluviae injuriam.* 2. *Grues per alta cœli involantes*; hi enim ex aeris alteratione pluviam præsentientes, aliiùs fursum enituntur, ut hoc modo eandem effugiant. 3. *Corvi & corvices crocitantés*, nim. præ impatientiâ venturæ pluviae, quam metuunt. 4. *Aves maritime & lacustres*, de quibus *Virgilius ex Varrone l. 5. de ling. Lat. canit*:

Tùm liceat pelagi volucres, tardæq; paludis  
Cernere in expleto studio certare lavandi,  
Et velut insolitum pennis infundere rorem.